4. *Atque in prima exprimitur omnis trianguli rectilinei rectanguli angulus acutus minor.*
5. *In septima autem ei è regione collocatur eiusdem rectanguli angulus acutus minor.*
6. *In secunda columna sunt sinus arcuum primæ columnæ.*
7. *Suntque hi crus minus subtendens minorem angulum rectanguli, cuius basis, seu hypotenusa est sinus totus.*
8. *In sexta columna sunt sinus arcuum septimæ columnæ.*
9. *Suntque hi crus maius subtendens maiorem angulum eiusdem rectanguli, cuius scilicet hypotenusa est sinus totus.*
10. *Vnde omni triangulo rectilineo rectangulo fit æquiangulum & simile ex sinu toto, & sinu secundæ columnæ, & sinu sextæ ei è regione respondente.*
11. *Tertia columna continet Logarithmos arcuum, & sinuum sinistrorum.*
12. *Qui sunt Logarithmi proportionis cruris minoris rectanguli ad eiusdem hypotenusam.*
13. *Itemque hi sunt arcuum, & sinuum dextrorum Logarithmi complementorum, quos antilogarithmos appellamus.*
14. *Quinta columna continet Logarithmos arcuum, & sinuum dextrorum.*
15. *Qui sunt logarithmi proportionis cruris maioris rectanguli ad eiusdem hypotenusam.*
16. *Itemque hi sunt arcuum & sinuum sinistrorum antilogarithmi, seu logarithmi complementorum.*
17. *Quarta denique seu media columna continet differentias inter logarithmos tertiæ columnæ, & quintæ. Vnde duplex est hæc columna, Abundans & defectiua.*
18. *Abundantes, sunt differentiæ, quæ oriuntur ex subtractione logarithmorum quintæ à logarithmis tertiæ.*
19. *Defectiuę verò, sunt differentiæ ortæ ex subductione logarithmorum tertiæ à logarithmis quintæ: quæ ideo sunt minores nihilo.*
20. *Differentiæ abundantes dicuntur differentiales numeri, arcuum sinistrorum.*
21. *Suntque logarithmi proportionis minoris cruris rectanguli ad eiusdem crus maius.*

22. *Item*

22. *Itemque sunt Logarithmi fœcundorum, siue tangentium arcuum sinistrorum.*
23. *Differentiæ autem defectiuæ dicuntur numeri differentiales arcuum dextrorum.*
24. *Suntque Logarithmi proportionis maioris cruris rectanguli ad eiusdem crus minus.*
25. *Itemque sunt Logarithmi fœcundorum, siue tangentium arcuum dextrorum.*
26. *Omnis etiam arcus sinister, eiusque ad semicirculum reliquus, dicitur arcus complementi arcuum, sinuum, & Logarithmorum dextrorum, atque differentialium defectiuorum.*
27. *Et contra, omnis arcus dexter, eiusque ad semicirculum reliquus, dicitur arcus complementi arcuum, sinuum, & Logarithmorum sinistrorum, atque differentialium abundantium.*

ADMONITIONES.

28. *Hic notandum est, si Logarithmos tertiæ columnæ defectiuos feceris (præposito scilicet —— signo,) fient Logarithmi hypotenusarum, siue secantium arcuum dextrorum septimæ columnæ.*
29. *Et hi etiam fient Logarithmi proportionis hypotenusæ rectanguli ad eiusdem crus minus.*
30. *Et si Logarithmos quintæ columnæ defectiuos feceris, fient Logarithmi hypotenusarum, siue secantium arcuum sinistrorum primæ columnæ.*
31. *Fient etiam hi Logarithmi proportionis hypotenusæ rectanguli ad eiusdem crus maius. Verùm quia ad rectilineorum scientiam comparandam, soli sinus, eorumque arcus, & logarithmi cum differentialibus: ad Sphæricorum autem, spretis sinibus, soli arcus, & eorum logarithmi, & differentiales sufficiunt: ideo hypotenusas & fœcundos tabula excluſimus: sicuti & sinus ipsos in sphæricis negligi volumus, Ostendemus tamen obiter te posse (si libuerit) eis omnibus satis expeditè in rectilineis vti, in sphericis verò minimè.*

CAP.